DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

PRÆCIPUIS MORBIS

INDIÆ OCCIDENTALIS

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

PRÆCIPUIS MORBIS

INDIÆ OCCIDENTALIS

COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANTONIUS MUSGRAVE,

Ex Insula Antigua,

CHIRURGUS

SOCIET. REGIÆ MED. SOC. EXTRAORDINARIUS

Et Præses.

Hæc, ut potero, explicabo; nec tamen, quasi Pythius Apollo, certa ut sint aut fixa quæ dixero; sed ut homunculus unus, e multis probabiliora, conjecturâ, sequens. CICERO.

Die VIII. ante Kal. Julias horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXIV.

PRÆCEPTORI

ET AMICO HONORANDO,

JOANNI THOMSON, M.D. F.R.S.E.

ARTIS CHIRURGICÆ PROFESSORI

(A COLLEGIO REGALI CHIRURGORUM EDINENSI NOMINATO,)

NECNON

IN ACADEMIA,

REGIO PROFESSORI CHIRURGIÆ MILITARIS,

QUO AUSPICE

PRIMUM MEDICINÆ STUDIO INCUBUIT,

ET CUI

OB BENEFICIA ACCEPTA PLUS DEBET,

QUAM PERSOLVERE UNQUAM POTERIT,

HOC OPUSCULUM

ANIMO GRATISSIMO INSCRIBIT,

AUCTOR.

DISPUTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM DE

PRÆCIPUIS MORBIS INDIÆ OCCIDENTALIS COMPLECTENS.

AUCTORE ANTONIO MUSGRAVE.

Summos Medicinæ honores ambiens, quædam de præcipuis morbis natale solum populantibus, disserere statui; non quod vel ipse spero aliquid novi, aut in rationibus, aut curationibus, scriptis clarorum hominum, qui eos jam antea tractârunt, adjicere; sed merè ex studio operam utiliter conterendi, indagatione malorum quæ intimè novisse, mea maximi intersit.

Cujusvis horum historia accurata plusquam

tentamini hujusmodi sufficeret; mihi, igitur, in animo est hìc, solum, de remediis optimè utendis disputare; at simul eò ad causas et naturam singulorum spectanti quò ad hunc finem ritè consequendum, opus reverâ erit: Sanationem enim morbi tentare, priusquam ejus causæ, quam maximè in aperto sint, est planè empirici indocti, non medici ingenui.

FEBRIS FLAVA, SEU BILIOSA REMITTENS præ omnibus, certè, attentionem sibi vindicat; ab eâ, igitur, incipiemus.

CAUSÆ.

INTER has, *Miasmata Paludum* primum locum tenere, haud dubiè, debent; imo nonnulli auctores[1] febrem hanc nunquam exci-

[1] Lempriere.—Hunter.

tari posse, nisi horum aspiratione, contendunt. Huic opinioni, tamen, experientia aliorum nonnihil adversatur; quoniam, nunc, satis constat, febrem, saltem, omnino similem, *ex labore sub ardente sole, frigore cum humiditate conjuncto,* ut in roribus istis creberrimis, apud Antillas, sed in Britanniâ ignotis; *ebrietate,* denique, ex *quâvis noxâ debilitatrice,* oriri. Hi quoque qui nuper cœlum mutârunt, robusti, et sanguine pleni, multo procliviores, quam Indigenæ, et soli ardentiori assueti, ut in hunc morbum incidant, observantur: Immunitas, quidem, rationem consuetudini, gradum caloris vehementem patiendi, semper habebit.

De naturâ *aurarum* ex paludibus, nihil certi habemus. Ex aquâ solâ eò non constituuntur quòd loca existunt quò aer humore saturatus eosdem non gignit effectus: et contrà nullum gas, seu fluidum elasticum cognoscimus, quod, per se, morbum inducere pos-

sit. Elementa, igitur, *materiei* herbarum et animalium, in putredinem ruentium, quodam-modo, (quomodo ignoramus,) inter se, et cum calore, et humiditate conjuncta, hos noxios halitus efficere, solum dicere licet. Leges, quibus obtemperant, quod ad spatium inter quod vim morbidam exercent, varietates cœli, &c., indagare, multum optarem, sed limites arcti, quibus cohibeor, vetant.

Causis jam enumeratis, sunt qui *contagionem*, quoque, sed perperam, ut opinor, adjiciunt. Quæstio hujusmodi, quamvis summi momenti, non facilè componitur: quoniam affectiones epidemicæ, i. e. ex statu aeris pendentes, adeo, externâ facie, eas contagione disseminatas referunt, ut investigationes diligentissimæ, attentione minutissimâ institutæ, exigantur, si probè dijudicare velimus. Tales investigationes, de hâc aliisque febribus, et me judice, felicitèr instituit Bancrof-

tius, quocirca lectores meos, ad ejus egregium opus, referre, ipse contentus ero.

His de causis præmissis, nunc progrediendum est ad

REMEDIA.

Hydrargyrus.—Hoc potens metallum, quondam *specificum*, in hâc febre, ita ac in syphilide, æstimatum, nunc, ut credo, ferè, in desuetudinem cecidit; et, ni fallor, aliis remediis, quorum virtutes solidioribus fundamentis nituntur, feliciter cessit. Ejus strenuissimus defensor, (supervacuum est dicere) Chisholmius, olim, ex insulâ Grenada est, qui seriò affirmat, se, dum eo uteretur unum, tantum, ex viginti febrientibus, amittere solitum esse.

Tantus successus, famam Hydrargyri, ultra dubium, ponere videretur: Sed Bancrof-

tius experientiam aliorum, et vel illius auctoris huic proposito adversari, ostendere, strenuè conatur, exemplumque, procul dubio, grave, ex ipsius opere, adducit, quo, ex viginti sex militibus, hoc modo tortis, quinque, tantum, convaluerunt: at contra, de tribus, qui solum ex octoginta quatuor, (rebus quod ad statum corporis, &c., aliter se habentibus) mortui sunt, omnino tacet, quamvis res ipsa in eâdem paginâ memoratur.

Certè multum plorandum est, auctores tam acritèr et illiberalitèr, inter sese, de rebus hujusmodi disputare; quoniam non possumus idèo decernere, an ex amore veri, an ex præjudicio, eorum observationes originem trahant.

Curationem tamen salivam movendo, non adeo efficacem esse, ac Chisholmius vult persuadere, ex experimentis Blanij, chirurgi militaris in Insulâ Jamaica, judicare licet. Ægrorum quindecim, quibus, a primo die febris,

Hydrargyrus, sub formâ et Calomelanos, et unguenti, summâ curâ, adhibitus fuit, quinque perierunt, quorum tribus, ante mortem, saliva superfluxerat. Quinque sanati sunt, nequaquam hoc remedio imbuti. In alteris quinque, qui etiam in sanitatem redierunt, fluxus salivæ institutus fuit, sed non, ut plerumque accidit, donec signa quiescere cœpissent.

Ex quatuor, qui in valetudinarium, 2^{ndo} die morbi venerunt, nemo est mortuus, sed unus, solummodo, hydrargyro affectus. Tres, 3^{tio}, 4to, et 5to die admissi, omnes perierunt, quorum in prioribus nequaquam, in ultimo clarè ora salivâ scatuerunt.

Hi exitus, quidem, nos ferè concludere hortarentur, hydrargyrum nullum effectum habere, in cursu signorum, aut promovendo, aut cohibendo. Quod ad me ipsum attinet, fatebor, theoriam mihi videri quodammodo sanationi ope hydrargyri favere, ideoque,

præsertim, post experientiam Armstrongij, et aliorum, quæ remedium, per se, periculo carere ostendit, magis exclusioni aliorum majori vi præditorum, objicio, quam ejus usui, post exinanitiones, quem Rushium tam feliciter adoptâsse, in febribus Americæ, apprendimus.

Venaesectio. Nunc, ad remedium pervenio, cui, me saltem judice, multo, magis quam supra-proposito prudentior medicus fidet; etiamsi neutiquam negandum, opiniones inter se discordissimas de eo, vel apud auctores optimos teneri. Lindius opinatur sanguinem, in hâc febre, semper cautissimè mittendum esse, at postea cursum sanguinis e naribus, aliundève, ægrum persæpe morte eripuisse, ipse testatur; quod, certè, sanguinis missionem indicare videtur.

Blanio, quoque, hæc curatio displicet, quod mihi singulare apparet, utpote ventriculum

constanter inflammari, et incisione cadaveris, et sensu ardoris, vomituque, ægro adhuc vivo, ipse ostendit. His accedunt Gillespius, Chisholmius, et alij, mala, nescio quæ, sanguini detracto tribuentes, at simul secum discrepantes, naturam morbi inflammatoriam confitendo; saltem, quantum signa post mortem demonstrare possunt. Contrà, fautores detractionis sanguinis invenimus, Pringleium, Moseleium, Rushium, Jacksonum, M'Leanium, Bancroftium, et licet adjicere Dicksonum, nunc medicum apud classem in Indiâ Occidentali, qui, nuper, observationes paucas, sed eximias, de febribus Tropicis edidit.[1] Rushius et Jacksonus, ut puto, remedium utendum imperant ultra quod prudentia dictaret; quoniam in aprico decet esse neminem, nisi omnino vanis rationibus deditum, sanguinem, viribus jam concidentibus missu-

[1] Med. et Surg. Journal.

rum; dum utilitas, imo *necessitas* hoc faciendi, morbo adhuc recente, nequaquam, ni fallor, dubitari potest.

Res de quâ maxime agitur, est an ventriculus cerebrum, &c., reverâ inflammentur, necne; et quoniam incisiones cadaverum nihil obscuri quod ad hanc quæstionem relinquunt, sanguinem mittendum esse constat, sed *in primo stadio*, tantum, ad *uncias plurimas*, et ex *ostio magno*. In morbis inflammatoriis, vel in Britanniâ occurrentibus, sanguinem detrahere, post aliquod tempus, minus idoneum fit; sed multo citiùs, inter Tropica, ob celeritatem, quâ inflammatio ibi per diversa stadia transit.

Dum utilitatem lanceolæ inculco, in animo semper tenendum volo, hoc remedium ritè ministratum efficacissimum, anceps in quibusdam exemplis fieri posse, indole corporis infirmiore; sed talis, ut feliciter accidit, perràro hâc febre implicatur, et in Europæis

plenioribus, procul dubio, statim adhibendum ad ℥xvi, xx, vel etiam xxv, brevi, nisi signa quiescant, repetendum.

Curatione hujusmodi morbum optimè superandum experientia recens Parsonij, Chirurgi militaris, in insulâ Guadeloupe, satis superque edocet.[1]

Postquam observationes supradictas literis mandassem, tractationem Doct. M'Millani,[2] exercitui Medici, de febribus Tropicis, perlegi, quem ferè semper invenio sanguinis ℥xxxvi, aut XL mitti præscribentem, vel in quæ dicit "spare habits," et ipso testante, optimo successu. Sed multum dubito, an hanc quantitatem detrahere possimus, sine accessione syncopes.

Frigus. Introductio regiminis frigidi, in febribus tractandis, eas, uti omnes consenti-

---

[1] Med. et Surg. Journal.

[2] Idem Liber, Jan. 1814.

unt, plurimis terroribus spoliavit, et, nunc, solum mirandum est, rationem medendi contrariam, unquam, omnino, invaluisse. Aer, profecto, ita ac potio frigida, ubique necessarius, in omni febre, cujusvis generis, ducitur. Affusio, et lavatio, quoque, latè in usum adhibentur; sed res quæ alteram alteri anteponendam indicent, aliquam attentionem postulant.

Ineunte febre, simul ac urgeat calor, affusio frigida auxilio præsentissimo fiet, et plus minusve utenda, pro ratione ardoris: hinc, aptè terris Indicis accommodatur, ubi ardor cutis vix patibilis est; ideoque, si fieri possit, aqua, arte, refrigerari debet.

Hisce ritè peractis, spe remissionis insignis, vel etiam cessationis permanentis, medicus perràro falletur. Sæpe, tamen, signa recurrunt, quo in casu, aqua iterum, iterumque affundenda, quoties temperies et siccitas superficiei corporis denuò stabiliantur.

Auctores duo, de usu frigoris, optimi, Cur-

reius, et Jacksonus, inter sese, nonnihil discrepant, quoad leges, quas observare, in ejus administratione, debemus. Illas prioris optimas, pleràque ex parte inventum iri conjicio; etiamsi haud prorsus expers rationis videtur, febricitantem, licet gelidum et glutinosum, nihilominus, post frictiones scopulis, pannisque tepefactis institutas, in statu ad impressionem accipiendam apto esse futurum.[1] Curationem quodammodo huic similem a Chisholmio propositam invenimus, i. e. balneo calido uti, statim ante affusionem frigidam; et benè novimus Russiæ incolas sese in fluvios immergere, illico, postquam e suis balneis, e vaporibus intensis factis, exierint, solere. Hoc, autem, dicere, Jacksono est quam maximè acquiescere, ingratiis enim exempli De Haeni ipsius, qui "totus algidus, algido sudore," commodum adeo insigne, lavatione frigidâ,

[1] Jackson on Fever.

accepit; vereor ne talem curandi rationem imitari, in pluribus casibus, hominem necare non esset.

Pauca febris exempla, regionibus torridis, occurrere conjicio, quibus, inter initia, affusio frigida non convenit, et, si signa lenia prodeant, forsàn priùs ejus effectus experiamur, quàm ad venam secandam fugiamus, et sic, omnino, ultimam prætermittamus: morbo provectiore, affusio nimis aspera, pro viribus ægri, invenietur, et tunc, ad lavationes, ope spongiæ, recurrendum, si cutis magis incalescat quam ex consuetudine. Ubi dolor capitis et delirium sæviunt, pannis madefactis, capiti raso assiduè impositis, optimè leniuntur.

Potiones frigidae legibus iisdem, quibus affusio et lavatio obtemperant, utpote minus aptæ, si æger inhorrescat, aut insudet, at si, calore urgente, sumptæ, halitum cutis evo-

cando, sæpe solatium praebent, aut omnia signa mitigant.

Injectio aquæ frigidæ, per rectum, multum a Rushio, aliisque, laudatur: item misturæ gelidæ, ventriculi regioni adhibitæ, ad irritabilitatem sedandam, aliæque hujus remedij varietates, quæ omnes, manu solerte, in bonum, indubitanter, converti possunt. Ægrum, tamen, lodice humidâ obducere quemadmodum commendat Bancroftius proclive ut algorem molestum facessat putarem, ideoque, non, nisi cautissimè, præscribendum.

Animadvertere liceat regimen frigidum nequaquam hydrargyri administrationi inimicum esse; Armstrongius[1] enim, ex insulâ St Kitts, si quando saliva ægriùs profluxerit, hanc, affusione frigidâ, frictione ad siccitatem usque, et poculo vini aromatici, promovere solebat: Neque alvi purgantium, quamvis Moseleius

---

[1] Vide Chisholm on Yellow Fever.

videtur, hanc ob causam, ab eorum liberiore usu, deterritum fuisse.

Quae alvum purgant. Intestina quam primum vacuefacienda esse, supervacuum foret inculcare ; quandoquidem pigritia alvi, et fætor, colorque dejectionum, de necessitate talis exinanitionis, vix, aut ne vix quidem, aliquid dubij permittunt. Postquam, autem, alvus semel penitùs dejecta fuerit, plures unâ dejectiones, quotidie, moliri, nequaquam, solicitus essem, ne alvi fluxus, utpote debilitatem inducens omnimodo arcendus, superveniat.

Sales medij, si nimium ventriculum irritabilem vexant, omittendi sunt, et submurias hydrargyri, cum jalapâ, scammonio, gambogiâ, &c. conjunctum, substituendum. Quodsi vel hæc vomitu rejiciuntur, ad alvi ductionem recurrendum.

Quae vomere faciunt. Ex opinionibus, quas protuli de conditione ventriculi, in febre de quâ agitur, perspicuum erit, me, remedia hujusmodi, commendare nequire. Profecto vel *a priori* vomitoria irritabilitatem hujus visceris adeo pertinacem intendere conjicerem, atque hanc conjecturam, optimâ auctoritate, confirmari observo. Joannes Hunterus, Moseleius, et nuperiùs Bancroftius, eis præcipuè objiciunt; quinetiam secundus se persæpe ægros vidisse, ex hâc causâ, perditos asserit, atque, idcirco, usum vel aquæ tepidæ vetat. In exemplis, quibus signa mitia sunt, at simul nausea opprimit, vomitus tutò forsàn ope infusi anthemidis nobilis eliciatur; sed ultra hoc nunquam; quanquam, mirabile dictu! auctores nonnulli, vel magni nominis, inter quos, recenseamus Lindium, Blaniumque, usui emeticorum haud parum favent. In dubio, ut opinor, versatur; an aliquid in ventriculo re-

tentum, nauseam hujus morbi propriam unquam excitet. Sed vel si hoc, reverâ, subinde causa esset, ope alvum purgantium dejicietur.

Ad vomitum continentem, qui sæpissimè adest, compescendum, multa diversaque proponuntur. *Haustus effervescentes*, in aliis malis adeo efficaces, hìc futiles inveniuntur. *Opium* intus adhibitum, effectus optimos, ratione causæ habitâ, pollicetur, quam experientia ipsa stabilit: Sed hoc, fortassè, minus conveniat, vel respuatur; quod si fiat, alibi auxilium petendum est: Tunc obtinetur nonnunquam, solutione camphoræ cum opio, circa ventriculum, vel emplastro meloës vesicatorij eidem loco imposito: Sed nihil magis quam *Æther* laudatur, uti ex Chisholmij opere patet,

---

Quae sudorem eliciunt. Prorsus hoc genus remediorum contemnere, paulo arrogantiùs esset; quoniam fama pulveris Jacobi, ratioque

medendi, a Blanio instituta, qui medicamentum, ex opio et vino tart. ant. confectum, omni nocte, ab ipso initio febris præcepit, ejus efficaciam, in quibusdam exemplis satis edocent.

Attamen, ineunte morbo, remedia majori vi prædita, hisce, de quibus agimus, supersedebunt (nisi cum eis affusionem frigidam collocamus, quod non injuriâ facere possimus) et postea, omnia, saltem, ex antimonio præparata, ut vomitum cieant, proclivia sunt; quem omnimodo arcendum, ostendere conatus.

Mistura salina communis, alkali fixo volatili mutato, semper in usum adhibeatur, quippe quæ cutem quodammodo relaxat, dum simul amicorum, ægrique ipsius, animos detinet. Calomelas opio junctum, non malè huic morbo aptari videtur, quoniam et sudorem eliciet, somnum inducet, et, si hucusque pergere velimus, glandulas salivæ secernentes afficiet:

Sed hoc remedio nequaquam antea, uti fas est, quam lanceola, et alia hujusmodi, ut opium ritè concedatur effecerint. Nam ingratiis curationis Blanij, experientia aliorum hoc remedium, morbo tam inflammatorio adhuc recente, administrare, strictissimè vetat.

Nihil, inter sudoris moventia, præstantiores effectus pollicetur, quam balneum e vaporibus aquæ, nuper a Doctore Dicksonio propositum : et confiteor, me, quâdam confidentiâ, prospicere ad eventum ejus adoptionis.

Exulcerantia, haud secus ac jam dicta remedia, modo laudata, modo autem improbata, dum scripta auctorum legimus, videmus. Quamvis eorum effectibus solis, in curandâ hâc febre, nequaquam niterer ; attamen, ad signa urgentia levanda, ea persæpe cum fructu adhiberi, nemo dubitare potest. Sic emplastrum e meloe vesic : nuchæ aut inter scapulas, capitis dolorem et delirium sævientia,

aut circa ventriculum admotum, vomitum continentem haud rarò consopit. Viribus labentibus, latiùs ad corpus excitandum, forsitàn utilia essent.

Quae stimulant, et roborant. Si omnia, jam memorata, prorsus inutilia evaserint; si signa putredinis ægro necem minitantur, atque vires planè collabuntur; remedia vel ancipitia, experiri fas est, etenim de capite agitur. Jacksonus venam incidi commendat, sed, ut antea dictum, major quam vulgaris audacia requiritur, ut ejus consilium sequamur. *Capsicum* intus datum latiore experientiâ innititur: Extrinsecus nuper, neque, ut videtur, injuriâ suggestum fuit formâ balnei. *Vinum*; *alcohol* magis minusve dilutum, et sub variis formis; *æther*, dari possunt; atque *cinchonæ* tantum quantum ventriculum non prægravet, formâ decocti, forsàn acidis commis-

ti: At si hæc ultima omnino respuatur, eadem per alvum infundenda, quoniam exempla ægrorum non desunt ejus operâ solâ sic ad sanitatem redditorum.—Exulcerantia, quoque, et cataplasmata ex sinapi confecta, non prætermitti debent. Cinchonæ efficacia, nuper, in dubium, ineptè vocata est. Rushius est unicus auctor, fide dignus, qui de eâ omnino dubitat, et verisimile est, aliquem errorem, in ejus administratione sub eo fuisse admissum, quandoquidem hæc, ita ac alia fortia remedia, non sine discrimine adhibenda.

Quantitas, singulis casibus apta e variis rebus pendebit. Moseleius putat drachmam duodecies acceptam plerumque ad reditum morbi arcendum, suffecturam: optima lex erit, ut credo, tantum semper administrare, quantum ægrotans, sine nauseâ, accipere possit. Simul atque remissio superveniat, sed neutiquam antea, ejus administratio incipienda est:

quia, stadio inflammationis cute aridâ et ardente, pulsu crebro, siti, &c. indicato, nil dubij quin molestiam facessat, quamvis testimonio ejus virium non egemus, ubi vel princeps remedium fuit. *Quassiam*, *serpentariam*, aliaque similia, vel cum cinchonâ conjungere, vel sola, defectu ultimæ, præscribere possumus; ast vis eorum febrifuga multo magis in dubio versatur.

Exercitatio corporis violens, sub dio, in quovis vehiculo, adeo a Jacksono laudata, experientiam aliorum postulabit, priusquam, saltem inter excelsiores ordines, in usum, generaliter, admitti potest. Doctor Curreius[1] rectè annotat curru clauso, hisce regionibus, vehi semper febrientibus nocere; idcirco, omne commodum calidioribus derivatum tribuit Jovi aperto.

---

[1] Medical Reports.

Quod dicitur "Essence of Spruce" gratos effectus edet, utpote refrigerat, alvum laxat, et putredini occurrit.

DYSENTERIA.

Aliis causis, ab aliis auctoribus, hicce morbus tribuitur, scilicet, *contagioni; miasmatis paludum; frigori* halitum cutis supprimenti; *fructibus* liberiùs sumptis; *acribus ingestis*, &c.

Primam, viz. contagionem, nunquam morbum disseminare, nisi typho jungatur, opinor: Sed, hâc conjunctione factâ, virus inde adeo modificatum esse, ut morbus uterque, in quovis homine ei objecto, inducatur. Sic opiniones diversæ, de naturâ morbi contagiosâ, conciliari possunt, illos, qui dicunt eum contagiosum esse, hanc complicationem vidisse

conjiciendo, et vice versâ.[1] Ex opere Monroij,[2] fructus potiùs prodesse, quam nocere, hoc morbo laborantibus, constat: Et profecto, quamvis denegare nequeo, reliquas causas, aliquando, sed raró, conspirare, in morbo gignendo, ut dicam multum inclinor *miasmata paludum* dysenteriæ longè frequentissimam causam esse.[3]

Causa proxima, seu natura intima morbi, ex incisionibus cadaverum patet esse inflammatio membranæ intimæ intestinorum, persæpe, ad exulcerationem, vel etiam gangrænam progressa.

---

[1] Harty on Dysentery. [2] Diseases of the Army.
[3] Bancroft.

RATIO MEDENDI.

Venaesectio. Ubi constitutio corporis valida est, et sanguinis plena, dum simul dolor acutus ægrum cruciat, *venam ferire*, non solum utile, sed etiam necessarium evadet. Monroius, Pringleius, Blanius, Lindius, omnes, venas vacuefieri monent: At, præ omnibus, primus, qui dicit se nunquam crebro et debili pulsu aliquando stipante, deterritum fuisse: hic enim, plerumque, fluxu sanguinis, plenior fieri solebat. Quodsi indoles corporis infirmior est, et plenitudo omnino absens, lanceola, forsàn, ritè omittetur, sanatione alvum purgando inceptâ.

Quae alvum purgant. Ex his, sales medij aut oleum Ricini communis, exemplis recentibus, optimè convenient: Rheum Palmatum, a nonnullis scriptoribus, reprehenditur, nec

injuriâ quidem, quoniam vis astringendi quâ fruitur, postquam alvum dejecerit, circa finem, alvo fluente, id aptius præstaret. Attamen si submuriati Hydrargyri jungatur, quod a Pringleio, quondam sæpissimè factum est, ejus usui, quovis stadio morbi, vix objicere quimus. Ex antimonio præparata, tantulis copiis data, ut alvus dejiciatur, in usum, quoque, adhibentur, aut Ipecacuanhæ gr. V. singulis horis, donec alvum moverit, quod, testante auctore nuperrimè citato,[1] plerumque, post tertiam vicem, accidit. *Vires specificæ*, quidem, olim, huic radici tributæ fuerunt: Sed hæcce opinio, et de hâc, et aliis, nunc obsolevit ferè, utpote perquam perspicuum, eosdem effectus, quovis exinaniente, induci. Sed quocunque medicamento uti statuamus, plena alvi dejectio est constantèr molienda;

---

[1] Pringle.

quandoquidem, sine hâc, omnia tentamina alia, prorsus, irrita erunt.

Quae vomere faciunt. Remedia vomitoria, a plerisque, qui de hoc morbo scripserunt, laudantur; et nil dubito, quin sanationem, promoveant, et ventriculum, forsàn, quovis acri exinaniendo, et sudorem eliciendo: Sed ubi, imprimis, plenam alvi solutionem, medicamentis, ut decet, moliti sumus, hæc, me saltem judice, eorum necessitatem penè anticipabit. Quodsi, nihilominus, ad ea recurrere velimus, satiùs erit conjunctione Tartritis antimonij cum Ipecacuanhâ uti, quâ, post vomitum, dejectionem quoque factum iri verisimillimum est.

Quae sudationi favent. Hæc, præsertim, a Moseleio commendantur, qui, enimvero, nihil amplius desiderare, in dysenteriâ curandâ, videtur. Hujusce medici curationem,

certè admodum felicem, quam maximè imitari vellem; sed cardine versatur, an sudori soli, an exinanitioni generali, successus eam sequens debeatur: etenim sanguinem mittebat, vomitum moliebatur, et dein, pulverem Jacobi administrabat, medicamentum, non minus alvo, quam cuti purgandæ accommodatum.

Balneum tepidum, admodum efficax, si dolor multum torqueat, æstimatur, quod facillimè, si spasmos intestinorum, (qui clarè occurrunt, quamvis non, ut Culleno placuit, causam proximam constituentes) perpendimus, intelligetur, omissâ vi sudoris movendi, quâ etiam pollet.

Pulvis Doveri, aut calomelas opio adjectum, exiguis et iteratis copiis satis morbo aptantur, utpote et cutem alvumque solventia, dolore simul levato. Conjunctio ultima, adhuc, aptior fiet, si aliquod viscus, puta jecur, vitiatur, ita administrata ut gingivæ afficiantur. Con-

stat, igitur, sudoris moventia hìc, haud secus ac in aliis vitiis febre stipatis, valere ; sed nequaquam sola utenda.

Opium, in hoc morbo, effectus optimos edit, dum ritè adhibeatur ; sed priùs ferè nunquam utendum est, quàm exinanitiones institutæ fuerint, ne causa irritans sic retineatur, signorum severitatem auctura. Postquam autem alvus penitùs expurgata fuerit, remedium aliquod ex opio confectum, optimo jure, dabitur, perràro dolorem non pleràque ex parte sublaturum : post hoc, alvus denuò purganda est, et hæc opij et alvi purgantium alterna administratio, diluentibus mucilaginosis simul copiosè sumptis, rationem medendi præstantissimam, in omnibus ferè dysenteriis præbebit.

Remedia astringentia. Morbo ineunte, ne quidem nominanda sunt, et postea, opio con-

tenti, forsitan, esse debemus: at si, prout nonnulli consiliantur, hoc stadio necessaria ducantur, electuarium Catechu selegendum, quod omnia hujus generis fortiora et meliora consociat.

Cinchona adversus hoc vitium, nisi formam intermittentis induit, minimè valet; sed tutò morbo provectiore, quum vires collabuntur, detur, aut sola, aut cum serpentariâ, vino, &c.

Exulcerantia, et Fomenta. Dolore magnopere cruciante, solatium haud rarò obtineri dicitur emplastro meloës vesic: ventri imposito: Alij contrà, fomenta, aut ex aquâ calidâ simplice, aut tincturâ opij et alcohole camphorato sparsa anteponunt, quibus, ut illi dicunt, prout ano, aut abdomini adhibentur, tenesmus, torminave, mirificè mitigantur.

Enemata, ex liquoribus mucilaginosis tepi-

dis, (quasi fomentum internum) dum illa injicere possimus, mitigationem insignem, rarò non præbebunt. Sæpe, tamen, ab iis abstinere cogimur, dolore, fistulâ immissâ, creato.

Quod ad *regimen* attinet, victu tenui vivendum, fructibus non prorsus negatis, abdomen vestimentis laneis tegendum, et liquores tepidi et glutinosi bibendi.

TETANUS.

Tetanus, ab auctoribus, in varietates quasdam dividitur, prout variæ corporis partes plectuntur; sed uti, consensu generali admittitur, has omnes eandem naturam agnoscere, eandemque medendi rationem postulare; non meum esse de iis, separatim, disserere, perspicuum erit.

CAUSÆ.

Hoc dirum malum, plerumque, inferunt, *vulnera omnigena, et frigus.* Nonnullis pla-

cet *vermes* et *alvum* malè se habentem, quoque, inter causas recensere: sed hæc magis, in dubio, versantur.

CURATIO.

Hydrargyrus. Hoc remedium, non minus in Tetano, quam in Febre Flavâ, commendatum fuit: nec meliore, ut videtur, jure. Moseleius, enim, plures fuisse, ab eo, perditos, quam sanatos, opinatur; et Larreius, cui, ob experientiam latam, quâ fruitus est, fides maxima debetur, dicit, frictiones ex Hydrargyro, signa semper aggravâsse in ægris, qui sub eo iis subjecti fuerunt.[1]

Profecto, me judicante, argumenta de hâc re, clariùs quam ex consuetudine, lucent.

---

[1] Memoires de Chirurgie Militaire, tome 1re, p. 257.

Nam Moseleius asserit, se plurimos Tetano implicitos, apud Indiam Occidentalem novisse, dum, ob alium morbum, Hydrargyrum caperent; et exemplum insigne, rem eandem confirmans, in opere Doctoris Hamiltonij invenimus, ubi Tetanus salivæ superfluenti statim accessit.[1] Porro non desunt exempla, quibus, morbo perstante, fluxus salivæ, sed frustrà, inductus fuit, sicut in Appendice primo operis Currei, reperimus, ubi spasmi intenti simul supervenerunt, ac fætor animæ, fluxusque salivæ Hydrargyrum fuisse operatum indicârunt. Nonne ex his jure inferamus, Hydrargyro nequaquam fidendum esse, in Tetano curando?

Clarkius, ex insulâ Dominica, submuriate Hydrargyri, cursum salivæ moliri, post vulnera accepta, et operationes chirurgicas, ad

---

[1] On Purgat. Medicines, 9th Appendix.

morbum præcavendum, hortatur, et affirmat, ex quindecem amputatis, sub eo, hoc modo curatis, unum tantum, periisse. Sed etiamsi eventum felicem medicamentis tribuamus, nonne fieri possit, doses quatuor cinchonæ simul indies datas, et granum opij c semisse singulis vicibus calomelanos adjectum, sanationem effecisse?

Frigus, latiùs quam Hydrargyrus, in Tetano, laudatur. Wrightius primùm eo usus est, formâ affusionis, et ille, Cochranius ex insulâ Nevis, et Curreius, sunt qui maximam, de ejus effectibus, experientiam habuerunt. Primus, tamen, longè posterioribus felicior fuit, utpote se nunquam tetanicum, cujusvis generis, amisisse, postquam balneum frigidum administrare solitus, affirmat; atque ex sex exemplis, quæ descripsit, tria ex injuriâ locali, originem traxisse, videntur.

Curreium sua experientia docuit, frigus

magis adversus Tetanum *frigore* exortum, quam illum *traumaticum* valere; quod exempla tria, in editione ultimâ ejus operis, tradita, comprobant, ubi frigus solum inefficax fuit. In altero, æger convaluit; sed opium quoque adhibitum est, ideoque dubium est, utri sanatio tribuatur. Successus inauditus Wrightij multo magis mirandus est, quam frustratio quam Curreius expertus est; quoniam, inter omnes constat, hunc morbum, frigore inductum, neutiquam adeo periculosum esse, ac vulnere exortum.

Præter auctores jam dictos, Moseleium, quoque, frigidarium commendantem invenimus, atque plurima exempla, in libris periodicis narrata, quibus ægri quater, aut quinquies, in balneum frigidum, 4ta, q. q. horâ, immersi sunt, demum, fausto exitu. Blanius, contrà, se frigidarium nocuisse testatum esse affirmat; et Clarkius, jam antea, de Hydrargyro citatus, ferè idem testatur. Exemplum,

quo mihi balneum frigidum vel mortem induxisse videtur, a Larreio, in ejus opere,[1] narratur, quod, nisi limites vetuissent, transcriberem.

Consideratis, tamen, considerandis, multum opinari inducor, balneum frigidum bonos effectus editurum, præsertim, in plenis, et juventute florentibus; ubi cutis aret, et calescit; in exemplis frigore inductis; et quum, spasmis maximè urgentibus, administratur. Perspicuum est, si viribus ejus nitimur, iterùm, iterùmque, repetendum esse, quoties signa recurrunt; ægro semper sæpiùs immerso: Aut si affusio balneo anteponitur, leges eædem observandæ sunt.

Post singulas affusiones, aut immersiones, æger, ad siccitatem usque, mantellis fricandus.

Medici Gallici, Tetano laborantes, sub

---

[1] Memoires de Chirurgie Militaire, tome iii. p. 288.

aquâ tenere, donec ferè obruti essent, solebant; sed non eodem consilio, ae balneum inculcatur: Effectus enim curationis hujusmodi, ex potestate, quâ corpus pollet, morbum sustinendi deletâ, necessariò pendebunt; atque ideo cum venæsectione ad deliquium, fumis nicotianæ tabaci injectis, aliisque postea memorandis, recenseri debet. Proximè post frigidum considerabimus—

Balneum Tepidum. Hoc præcipuè a Blanio commendatur, qui opio junctum, id omnibus aliis medicamentis, longè præfert.

Theoria, multum expectare ex vi relaxante quâ pollet, doceret; sed experientia hìc, ut alibi, quodammodo theoriæ adversatur: Hillarius, etenim, et De Haenus, uterque testantur, Tetanicos haud raròperiisse, statim, postquam e balneo tepido, quo, non diutiùs tertiâ horæ parte immersi sunt, exierint. Contrà alii, semel et iterum, eo usi sunt, nequaquam

adeo infeliciter, quod minus periculi subesse satis demonstrat.

Blanius suadet balneum e lacte c aquâ temperiei 96° adhiberi, in quo, ipso teste, ægri horas sex manserunt, postea ad sanitatem redituri.

Opium, memoratum videmus, ab omni ferè auctore, qui de hocce vitio scripsit: et quamvis negare nequeamus quantitatem enormem, aliquando adhibitam, functiones ventriculi, et intestinorum, turbare posse, vel etiam inflammationem accendere, sicut Latta affirmat,[1] attamen, quoniam hoc malum fortuitum, nequaquam, periculo morbi ipsius comparandum est, sic nullum grave argumentum, contra ejus usum, inde deduci, mihi in aprico est. Enimvero, ad quodcunque aliud fugiamus, opium nihilominus eocum præcipere debemus, utpote unicum est, de quo omnes ferè

[1] System of Surgery.

concordant. Leges, ad ejus administrationem, a Blanio, auctoritate Warreni, traditæ, maximè mihi arrident: Crebras copias, initio exiguas, sed, paulatim, donec effectum edant, auctiores dari hortatur: qui effectus sic perpetuò sustinebitur, quod summopere moliri conaremur. Ipsa morbi natura necessarium reddet, e majoribus modis incipere, quam aliter ministrare solemus, omni bihorio, vel etiam horâ repetendis: sed, haud rarò æger, vel haurire, vi spasmorum, impeditur, quó casu opium per alvum injiciendum, atque (assertione Moseleii, opium, extrinsecus, nihil valere, non obstante) frictiones, aut cataplasmata ex eodem, partibus maximè implicitis adhibenda. Lindius hæc ultima approbat, exemplumque refert, quo, dum pedibus adhiberentur, spasmi sedati sunt, statim, eis remotis, redituri.[1]

[1] Diseases of Hot Climates.

Pari ratione, conjicerem, opium, in curatione externâ vulneris, aliis commistum, haud prorsus inutile fore, in morbo præcavendo.

Remedia Antispasmodica. Horum *camphora* sola nunc, generaliter, in usu retinetur, plerumque, opio conjuncta.

Moschus, primâ facie efficax existimaretur; sed, quando infanti, sine vel minimo levamine, grana CL per horas XII fuisse concessa, discimus,[1] ne momenta pretiosa, in posterum, simili tentamine absumamus.

Alvi Purgantia. Hæc, ut omnes sciunt, a Doctore Hamiltonio, hujus civitatis, ad sidera tolluntur; imo vel curationem alienam suis opinionibus favere ingeniosè ostendere tentat. Sic in primo tetanico, cui a Wrightio affusio adhibita est, dejectionem alvi hanc statim secutam esse, atque alteris purgantia data fuisse,

[1] Cooper's Surg. Dictionary.—Tetanus.

ritè advertit. Ratio haud dissimilis est, quod ad experientiam Cochranij, &c.

Forsitan Doctori prorsus assentire nequeamus; sed alvum purgandam esse, torpor ejus comitans clarè indicat, quandoquidem, vel si, ut nonnullis placet, opio inducitur, haud aliter ac naturâ occurrens, omnimodo arcenda est.

In exemplo, quod ipse vidi, in Valetudinario Regio, alvi purgantibus curatum, æger mortuus est: Sed verisimile est, hoc accidisse, sub quâvis medendi ratione.

Cinchona et Cardiaca. Hæc a Rushio[1] laudibus cumulata, Curreius, in exemplo ferè desperato, omnibus usitatioribus frustrà tentatis, expertus est, atque, ut evenit, demum felici eventu, quamvis æger diu sub his remediis maneret. Hìc, vinum solum, per majorem temporis partem, dabatur, misturâ cum

[1] American Philos. Transactions.

cinchonâ rejectâ, et spatio dierum xlii, centum et decem utres vini Lusitanici fuerunt epoti, res quæ ex ipsâ rationem medendi per vinum, nisi longo usu præstantiorem probatam, saltem, ordinibus humilioribus, excluderet. Latta modum sanandi simillimum proponit, in opere ante citato, omnimodo alcohole sub variis formis, cinchonâ, &c. diathesin phlogisticam moliens.

Observatu dignum est, Curreium, ebrietatem neutiquam induci, totâ illâ vini quantitate, testari. Vires auctæ, sine pulsus incitatione, fuerunt.

Sanguinis detractio, ne quidem in catalogum remediorum, ab auctoribus datum, semper admittitur; aut si fortè admittatur, quasi antispasmodicum, quantitate modicâ, præscribi jubetur.[1]

Liquet, tamen, Medicos Lusitanicos, sanguinem, et ex brachiis, et cruribus tetanico-

[1] Larrey, op. cit.

rum, mittere, solitos fuisse; quod curationem recentem, quam ex analogiâ tetano feliciter iri applicatum conjicerem, quodammodo refert. Affinitatem, imo nexum arctissimum, qui tetanum et hydrophobiam interest, nemo morbos aut visus, aut libris indagatus, *momento* denegare potest.

Quoniam, igitur, experimenta, nuper, in Indiâ Orientali, facta, efficaciam venam incidendi, utriusque brachij, et fluxum sanguinis sinendi, donec pulsus vix sentiatur, in morbo posteriori demonstrat: nonne, idcirco, curationem similem, in priori tentare, optimo jure liceat?

Nicotiana, per alvum infusa, forsitan, efficax, simili consilio, (i. e. vires adeo subigere, ut morbum sustinere non possint) invenietur. Exemplum, quidem, invenio, a Blanio memoratum, ubi ejus fumi naribus injecti sunt. Æger convaluit; sed quum alia remedia,

quoque, administrata sunt, non possumus, inde, id quod sanavit discernere.

De vulnere tractando. Ubi tetanus vulnere exoritur, quomodo plagam tractabimus? Stimulantia modo, modo emollientia laudantur. Dilatatio, quoque—Sectio nervorum—Exurentia chemica, ferrum candens: Et, denique, amputatio, commendantur.

Nemo ferè, ut opinor, mecum dissentiet, vulnus omne, orificium angustum habens, dilatari, atque suppurationem, omnimodo, præcipuè si minuitur, promoveri, hortando. Larreius amputationem, post signorum invasionem, strenuè consiliatur, forsitan rectè, at forsitan contrà perperàm, utpote et ipse exemplis solum in tribus hanc expertus est, et ne his quidem omnibus, feliciter.

Woodius, ex Insulâ Jamaica, chirurgus,[1] sæpe, sed frustrà, digitos et pedum et manu-

[1] Moseley.

um, si in illis vulnus existeret, amputâsse dicitur. Res, igitur, adhuc, sub judice perstat.

Observationes Larreii, de modo quo nervi irritantur, ita ut tetanus oriatur, adeo rationales mihi apparent, cum rationibus occurrendi malo inde inductis, ut, earum sensum saltem, hìc non traducere nequeam.

TETANUM EXCITARI CENSET,

1$^{mo.}$ Quum nervus, postquam sectus sit, ligaturâ arteriæ impositâ, includitur.

2$^{ndo.}$ Quum nervus nudatus aeri frigido humidoque subjicitur.

3$^{tio.}$ Quum adhæsiones nimis arctas, cum parte cicatricis oppositâ, contrahit.

4$^{to.}$ Quum, aut pars extrema ossis articulans fracta, aut corpora aliena, vel illata, vel in articulo genita, partem vulneratam, lacerant, aut irritant.

In primo casu, ligatura dividenda est; quod tutò fieri potest, brevi, affirmat, quoniam horæ vel paucæ, ad inflammationem *adhæsivam* inducendam, plerumque sufficiunt.

Quum nervi exponuntur, aut suppuratio minuitur, superficiem plagæ emplastro cantharidum tegendam jubet. Casus $3^{tius.}$ ferro candente succurritur—Quartus, amputatione.

Ad singulas ferè hasce curationes, tot et tam fausta exempla narrantur, ut de earum efficacitate, vix, aut ne vix, quidem, dubitare, possimus.

Observare liceat, adhæsionem nimis arctam nervorum cicatrici, quodammodo, tetani, post vulnus sanatum, accessionem explicare; res quæ persæpe accidisse, ab auctoribus perhibetur.

Nunc, remedia omnia recensui, ut credo, quibus, medici digniores, in tetano curando, usi sunt. Alia restant, scilicet, *Petroleum Bar-*

badense, et *Acetas plumbi*. Sed hæc, nemine diu laudata, silentio prætereo: Ultimi quantitas permagna, impunè saltem, administrata fuisse, videtur.[1]

Si morbus ex frigore ortus sit, auxilio erit, halitum cutis, ope medicamentorum, elicere.

TRISMUS NASCENTIUM.

Hæc affectio lethalis, plurimis et diversis causis tribuitur—Scilicet, *meconio retento; corpori frigori* aut *fumo subjecto; funi umbilicali minus peritè secto;* aut *ulceri*, ex *hâc dilapsâ orienti, neglecto;* quarum quavis, fortè, morbum, aliquando, reverâ facessat. Amicus, diu in morbis tropicis versatus, mihi, nuper se opinari dixit, hanc tetani speciem longè sæpissimè inter Æthiopes, vestimentis crassis, quibus eorum infantes vulgò induuntur, excitari:

[1] Moseley

etenim, postquam matres, quibus præfuit, mollioribus, ejus jussu, usæ fuerint, exemplum morbi unum non sibi occurrisse.

REMEDIA.

Eadem ac in aliis, adversus hanc morbi speciem, utilia, invenientur: Attamen, *affusio frigida*, et *alvi purgantia*, maximè commendari solent. Hisce ultimis, morbum sæpè sanatum fuisse, Chalmerus testatur; ut opinor, quia ex meconio retento sub eo ortus fuit.

Hanc disputationem incipiens, de *Cholerâ*, et illâ affectione, "Dry Belly Ache" dicta, quoque, tractare constitueram—Spatium, autem, quod observationes præcedentes occupant, jam calamum seponere, lectoribusque parcere, monet.

FINIS.



